



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 110. Antonii Mariæ Saulii Cardinalis fatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Ejusdem Mensis diem decimam nonam vitæ suæ exitialem habuit Jacobus Serra Patritius Genuensis, qui variis Romæ officii defunctus, tandem in meritorum præmium a Paulo V. Diaconus, & demum Presbyter Cardinalis declaratus est, Ferrariensi legatione decoratus. Absolutis autem Urbani VIII. comitiis, cum purioris auræ & æstivi caloris declinandi desiderio sub diu sæpius cænare solitus esset, febrim malignam contraxit, ex qua paucos intra dies absumptus est, nonnisi quinquaginta tres annos natus.

Sæc. XVII.
A. C. 1623.

Paul. de
Angel. in
Descript. Ba-
sil. Liber.

§. CX.

Antonii Mariæ Saulii Cardinalis fatum.

Hic idem Mensis, ejusque dies vigesimus quartus postremus fuit Antonio Mariæ, qui Genuæ ex nobilissima Sauliorum gente natus, atque in florentissimis Italiæ Academiis uberri-
ma scientiarum penu instructus, in patriæ suæ negotiis aliquamdiu versabatur: demum Romam delatus, sub Pio IV. & V. Pontificibus varia munia Vir doctrina, pietate, ac prudentia clarus obibat, quorum fama ad Gregorium XIII. perlata, ab eodem Pontifice Nuntius Apostolicus Neapolin, & in

Ciacon. in
vita Sixti V.
pag. 177.
Rubeus in
Hist. Raven.

Sæc. XVII
A. C. 1623

& in Lusitaniam in gravissimis, ac summe arduis negotiis decernebatur: Inde Romam reversus, Sixto V. in difficillimis Ecclesiæ caussis perutilem nava-
bat operam, unde ab eodem Pontifice Genuensis Archiepiscopus, & Cardinalis creatus, ac demum ad classem contra Turcas & Piratas instruendam imperandamque legatus *a latere* destinatus est. Præficiebatur etiam Romæ omnibus ferme Congregationibus, quarum negotiis, ut eo fidelius inservire posset, ultro Archiepiscopatum suum dimisit, non sine magno Genuensium mœrore; quippe non modo Clerum sedatis controversiis componebat, sed etiam ubique aucto Dei cultu sacros ritus restituit, necnon Moniales, Religiosos & cives ad Religionem, tranquillitatemque monitis ac legibus mirifice reduxit, ab omnibus ob maximam rerum experientiam, doctrinam, prudentiam, pietatem, Religionem, vultusque Majestatem maximi habitus. Tandem sacri Collegii Decanus Romæ octogenario major Deo animam reddidit. Ejus cadaver primo ad S. Mariam de Populo depositum, postea inde Genuam translatum, in Ecclesia gentis Sauliæ reconditum est.

§. CXI.